



Ioannes Friburgi Brisgauriæ honestis parentibus natus, & in omni genere uirtutū educatus est. Cum autem is felici ingenio esset præditus, in patria operam literis dedit, atq; prima artium fundamēta facillè percepit. Inde uelò anno 1534 sese Selestadium cōtulit, & Iohannitarum ordinem suscepit. Erat tū quoq; Martinus Fabri Commendator Argentinensis in eo loco. cum eo Ioannes familiariter uixit, atq; instar fratris dilexit. Cum itaq; Martinus fato functus esset, Ioannes ille die 7 Maij anno 1562 in Argentinensi Commendatura successit, atq; suis uirtutibus effecit, ut omnibus fieret gratissimus. Eam functionē Ioannes adeptus, in primis

Martini antecessoris opus iuxta Bercken, in loco ueterū ruinis celeberrimo (qui Tempelhoff à deletis olim Templarijs dicitur) inchoatum, ad finem perduxit, nouum templum pulcherrimis picturis exornauit, atque in eo loco & propinquo oppido Bercken amœnam sibi & successoribus habitationem construxit.